

Dissertatio medico chirurgica de yaw Gallice pian / ex Anglo idiomate in Latinum versa. Cujus veritatem ... tueri conabitur Bertrandus-Simo Soleilhet ... pro prima apollinari laurea consequenda.

Contributors

Soleilhet, D.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Augustinum-Franciscum Rochard, 1767.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c8fxp2fc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



BAUMÉS FECIT.

MONSPELII.

DISSERTATIO

MEDICO-CHIRURGICA

DE YAW

GALLICE PIAN,

EX ANGLO IDIOMATE IN LATINUM VERSA,

CUJUS veritatem , Deo duce & auspice
Dei-parâ , in Augustissimo Ludovico
Medico Monspeliensi , tueri conabitur
BERTRANDUS-SIMO SOLEILHET ,
Tutellenfis apud Lemovicenses , Libe-
ralium Artium Magister , & jamdudùm
Medicinæ alumnus , die mensis
Februarii anni 1767

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA CONSEQUENDA.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM - FRANCISCUM - ROCHARD ,
Regis & Universitatis Medicinæ Typogra-
phum unicum.

M. DCC. LXVII.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30381253>



ARGUMENTABUNTUR

R. R. D. D. PROFESSORES REGII :

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT,
Cancellarius & Judex.

R. D. HENRICUS HAGUENOT , *Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-IOSEPHUS BARTHÉS.



ILLUSTRISSIMO NOBILISSIMOQUE VIRO

D. D.

JOANNI-JOSEPHO PEYRAC

EQUITI PRÆFECTO GENERALI
REI NAVALIS,

ANTEA ORDINATORI,

VICEM GERENTI DIÆCETES INSULÆ
STÆ. DOMINICÆ.

*V*IR ILLUSTRISIME,

*Auspice meorum Patrono, quæ mihi habentur præ-
tiosissima, prodire æquum est, nempè laborum qua-
lescumque fructus: beneficentissimo viro voveri par
erat quæ me docuit hæc scientia, cujus scopus est
unicus, mortalibus hæc servare bona, quæ reliquis
omnibus antecellunt, vitam & sanitatem. Floren-
tissimæ apud nos Coloniae parenti dilectissimo ea*

offerro , quæ meditatione & experientiâ ducibus cognita sunt circa causam , effectus & curationem dirissimi hujus-ce morbi , quo genus illud hominum vexatur , quos incolumes tueri Colonorum adeò interest , quique servituti miserè addicti , herorum commiseratione adeò digni sunt , vèl quia homines sunt.

Tibi , ô virtus , sine quâ nulla societas vigere potest , adeò amari digna , tibi debeo hunc quem selegi Mæcenatem ; tibi debeo plausus omnium , quod hunc selegerim. Te duce vixit Mæcenas noster , miseris solamen , amicis concivibusque felix & faustus , tutamen regionis quæ suis curis credita fuerat , vixit oblitus sui : alienæ tantùm utilitatis memor , æquanimis , sagax , Coloni divitis tutor , pauperis aut infelicis certum tutumque perfugium ; vobis , ô exules à vestrà patriâ , spei dubiæ nimium sæpè fisi , gaudebat se valere auctoritate & divitiis : hæc vobis nunquàm defuere auxilia benefica , quæ vix rogatus minimè gratitudinis cupidus , cunctis offerebat munificentissimus. His ille dilectus populis , qui , quâ pollebat , auctoritatem amabant , in suam tantummodò utilitatem conversam , ideòque faustos omnes hujus administrationis dies notabant , quia singuli beneficio singulari insigniebantur , vel in privatos , vel in rem publicam collato. Indè factum est ut Mæcenas Colonos deferere jussus , sic urgente circumstantiarum necessitate , lacrymæ , quæ testarentur summum ejus desiderium , ex oculis Colonorum fluerent affatim flentibus amarè desiderato jucundissimæ , tantòque magis expetendæ , quantò rariores observantur.

Annuisti , VIR ILLUSTRISIME , has pagellas tuo insigniri nomine ; procul dubio laudari

noluisses , quippè laudes respuere solent , qui laude
sunt dignissimi. Id satis sit tuæ dedisse modestiæ ,
ut longè plurima tuarum laudum argumenta præ-
termitterentur ; ast nunquid licitum erat ea silentio
premere , quæ velutè gentilitia sunt meorum Patro-
no , mei fautori , cujus suffragium maximè ambio.
Debui palàm facere , cur te Mæcenatem selegerim ;
debui significare tibi , **VIR ILLUSTRISIME** ,
quot & quantis de causis futurus sim in æternum ,

VIR ILLUSTRISIME ,

TUI NOMINIS ,

Obsequentissimus & humillimus
Cliens & Servus ,

BERTRANDUS-SIMO SOLEILHET.



DISSERTATIO

DE YAW

GALLICE PIAN.



DEO frequens est nostris temporibus varias inter mundi partes commercium, ut non-solùm Medicum ea nosse oporteat quæ observantur in regione quam incolit, ast etiàm ea quæ vel in dissitissimis regionibus, neque enì, quod certè dolendum est, morbi cuilibet regioni proprii minùs ad alias transmittuntur, quàm variæ merces; quod quidè nimis verum esse jàm docuit historia perspecta luis venereæ, quæ in nostram Europam transmigravit ex Insulis Americanis; docet prætereà hæc singularis lues primò in Affricanis plagis observanda, deindè cum earum incolis transf-

veſta ad noſtras Inſulas , ubi longè latè-
 que ſævit nomine *Pian* cognita , in Affricâ
Yaw dicta. Adeò damnofas ſtrages infert
 hæc tetra lues , ut maximè mihi viſum
 fuerit opere pretium ejus hiftoriam & cu-
 rationem tradere. Cum verò propriæ ob-
 ſervationes defficient , exiſtimavi me ni-
 hilominùs quid utile præſtare poſſe , ſi
 eximiam de hâc lue diſſertationem ab An-
 glo quodam auctore anonymo traditam ,
 latinitate donarem & magis publici juris
 facerem , quàm hætenùs extitit ; quem
 laborem tantò alacriùs ſuſcipio , quod
 certò noverim medendi methodum hâc
 diſſertatione commendatam egregiis qui-
 dè ſucceſſibus inſignem fuiſſe , quampri-
 mùm adhibita fuit in noſtris Inſulis , præ-
 tereàque morbi deſcriptionem datam pere-
 gregiè conſonam eſſe iis quæ obſervare eſt
 in iifdem Inſulis.

Morbus *Yaw* dictus epidemicè vel en-
 demicè ſævit in plagis Affricæ calidioribus,
 nulli ſexui parcit , rariffimèque non labo-
 rat ſemel eo morbo , in vitæ ſuæ curri-
 culo , qui natus eſt in iifce regionibus ;
 infantes potiffimùm , & adoleſcentes ado-
 ritur.

1^o. Nuntiant hunc morbum exiguiſſimæ
 maculæ in cutis ſuperficie manifeſtæ abſque

ullo tumore ; cæ vix apicem asciculæ mole superantes in iisce initiis , deindè increscunt de die in diem & præferunt speciem exiguorum tuberculorum. Paulo pòst secedit epidermis , tuncque loco puris aut ichorosæ materie , conspicitur escharra levior alba , sub quâ delitescit tumoris parvi , fungosi species , qui è summâ cute nasci videtur , mox ad varium magnitudinis gradum deventurus ; si quidè quandòque non excedit fragi Sylvestris molem , quandòque ribesii magnitudine æquat , non rarò fructus mori crassiores mole superat , ex variis ascinis confici visus. Dùm fungi prædicti capiunt incrementum , pili nigri , quibus pars affecta tegitur , mutant colorem , sensimque albescunt : hoc est , nigra horum-copilorum substantia fit pellucescendo subalbida , neque enim hæc coloris mutatio tribui potest materie purulentæ quam fungi fundere credi possent.

Credo vix ac ne vix quidè præcisè determinari posse tempus quod suis stadiis percurrentis infumunt tumores memorati.

Temperamenta quædam observantur , quæ cæteris faciliùs hanc luem , vel spontè suscipiant , vel contagio transmissam recipiant ; quandòque idem temperamentum

habitâ ratione variarum circumstantiarum, citiùs tardiùs-ve inclinatur in hunc morbum. Si contagione transmittatur, miasmatum contagioforum quantitas aut qualitas variat, symptomatum evolutionem accelerare vel retardare potest. Experientiâ edoctus fui nigritas robustos torosofque benè nutritos, spatio mensis unius elapso ab apparentibus maculis albis prædictis pluribus laborare hujusmodi tumoribus fungosis qui suprâ descripti sunt, mori fructuum magnitudinem æquantes; qui vix trium mensium decursu assurgebant ad molem fragi vulgaris in macilentis & minùs diligenter nutritis.

Tumores illi fungosi varias corporis partes adoriuntur indiscriminatim, tamèn qui crassiores existunt plerumquè sub axillis, circà inguina & pudenda, ad ani margines, in vultu conspiciuntur, eâ ratione, ut tantò numerosiores sint, quantò exiguiores, & vice versâ. Toto hoc morbi stadio, eo affecti benè valere videntur & appetere, nequè aliud incommodum patiuntur, quam quod exurgit ex ulcerum sorditie; nequè enim illi tumores dolent ut plurimùm, nisi validiùs duriùsque attrectentur.

Hoc modo procedit statque morbus ille,

quando fibimet ipsi natura relinquitur, absque eo quod ulla momenti alicujus mutatio superveniat; defunt observationes quibus innixus id possim asseverare quod succederet morbo nullâ arte curato; numquid morbus spontè sanaretur evacuata aut exhaustâ materie quæ ipsum produxit? numquid illi tumores fungosi verterentur in totidem ulcera phagedenica etiâ vi-
 tiandis ossibus idonea, hisque tumefaciendis & carie exedendis aut exostosi attol-
 lendis? quod quidè accidit tentatâ in cassum morbi curatione; numquid diù hoc morbo cute affectâ, glandularum miliarium ductus excretorii vel omnes, vel maximâ parte sic tandè ampliarentur, ut fluidum crassius transmitterent materie sudoris aut transpirationis, quod exsiccatum in superficie corporis, hanc scorbuti-formem redderet, vel crustis leprosarum ad instar exasperaret? Quæ conjectatio mihi videtur per quàm verosimilis, nequè minori probabilitate assereretur totum virus exhaustum esse simul atque videmus omnes fungosos tumores prædictos exaruisse.

Cum morbus iste sit contagiosus, pertinet ad heros ut nigritæ hoc affecti curentur & persanentur; quippè sic postulant humanitas, proprii commodi ratio, alio-

quoniam, qui hoc morbo non afficiuntur, in maximum versantur periculum contagionis.

Morbus iste caret periculo ut plurimum, dummodò tempestivè & methodicè curetur, imprimis quandò nulla remedia adhuc dum expertus est æger hâc lue infectus; ast si vim sialogogam mercurii passus sit, vel si varias hydrargiri præparationes paulò notabili dosi intus sumpserit, vel si post unquam evanuerint tumores fungosi, quasi jure postliminii revertantur; morbus iste fit sanatu difficilimus, imò non rarò insanabilis. Pro certo habeo seriem terrificorum symptomatum mòx exponendam, non tam ex ipsius luis energiâ, quàm ex intempestivâ hydrargiri administratione oriri; sic ut credam faciunt sequentia.

Nigritæ quilibet qui morbo prædicto affecti sunt in Affricâ ibique persanati sunt, hoc denuò minimè laborant in nostris Insulis; illis nullum superest in commodum, quod morbo curato successisse credi possit. A novem annis quibus in hâc Insulâ Medicinam facio, nullum vidi hâc lue ægrotantem, qui primùm à me curatus & sanatus, recidivam passus sit, neque vel unus interiit ex ingenti numero ægrorum utriusque sexûs & omnis ætatis meæ curæ commif-

forum. Procul dubio mirandum non est, morbos Affricæ indigenos melius cognosci & curari ab Affricanis, quàm à nobis Europam incolentibus; siquidè hos illustravit experientia trium millium annorum, nos vix ab elapso sæculo.

Simul atque percipitur nigritam morbo descripto laborare, illicò segregandus ille est à reliquorum consortio solusque in domo includendus; quod si tantum suspicio sit hujus morbi, tunc postquam septem dies transegerit præjudicatus ægro- tans, denuò examinabitur, uti præceptum erat Judæis, habito respectu ad eos qui Leprâ infecti credebantur Levi cap. XIII. Hoc septem dierum spatium satis est ut plurimum, ut de existentiâ morbi fiamus certiores. Simul atque certum est erumpentibus phymatibus morbum vigere, de quo tantum suspicio erat antea, bolus sequens ægro prescribitur.

℞. Florum sulphuris scrup. i.

Camphoræ (in spiritu vini sol.) gr. v.

Theriaceæ Andromachi drachm. i.

Syrupi croci q. suff. misce. f. bolus
quâque nocte horâ somni sumendus.

Iterabitur hic bolus quindecim dierum vel trium hebdomadarum spatio vesper- tinis horis, aut generalius, quò usque tu-

mores fungosi suum statum adepti fuerint ; quod quidem facile cognoscetur , iis neque mole , neque numero adauctis ; tunc opportunè movetur salivatio mitis ope aquilæ albæ , neque ad id præviâ quâvis aliâ præparatione opus est.

Mercurius dulcis fractâ dosi prescribitur , cavendo scilicet ne vomitum aut secessum excitet. Numquam hujus medicamenti dosim evexi ultra gr. v. quæ formæ boli , bis ter-ve de die repetiti præscribuntur , prout æger minùs magis-ve par est ferendæ hujus medicaminis energiæ. Nuspiàm de industriâ salivatio excitata quantitatem unius pintæ singulis diebus excedit ; sæpè ptyalismo ad hunc gradum excitato , tumores fungosi cooperiuntur crustâ scabie-ve squamosâ , quâ horrendi visu fiunt ægrotantes ; crustæ illæ diutim decidunt in squammularum albicantium modum , vixque elapsis decem duodecim-ve diebus , cutis glabra mundaque videtur.

Hoc curationis stadio cessari jubeo ab exhibitione mercurii dulcis , sinoque spontè minui penitusque tolli salivationem. Postquam cessaverit salivatio , ægrotos sudare curo bis ter-ve adminiculo lucernæ spiritu vini accensæ , & sequens electuarium

rium assumendum jubeo.

℞. Æthiopis mineralis, unciam I. & sem.
Gummi Guaiaci, unciam semis.

Theriaceæ andromachi. . . }
Conservæ ros. rubr. ana. } unciam I.
Olei sassaf. gutt. xx.

Syrupi croci q. s. M. F. electuarius.

Capiat drach. II. manè & vesperè.

Prætereà impero decoctum guaiaci & sassafras cum syrupo sacchari fermentatum, pro omni potu, toto eo tempore quo utuntur electuario, eundemque potum etià finito electuarii usu, octo vel quindecim diebus continuis præcipio.

Non nunquàm unus superest, reliquis evanescentibus emundatâ cutis superficie, & finito ptyalismo tumor fungosus elatior, ascinis grandioribus distensus ruber & humidus, hunc dicunt principem seu *magistrum-Yaw*, quiquidem plures nigritas ad orcum deducit, non nullis practicis existimantibus hunc radicitus evelli non posse, nisi alterâ, imò tertiâ salivatione excitatâ, licèt doceat observatio non opus esse nisi blando quodam escharotico, vel caustico, cujus ope sic tumor ille absumatur, ut infra epidermidis libellam ad unam octavam aut decimam pollicis partem subsistat, quæ notata absumptio prædicti tumoris,

ubi locum habuerit, æquè facilem curationem suscipiet, ac quodvis aliud ulcus simplex ejusdem figuræ & magnitudinis. escharotici à me plerumquè adhibiti compositionem ingrediuntur præcipitatum rubrum & alumen ustum ad partes æquales permista; digestivum erat unguentum basilicum, cujus uni unciae addebatur præcipitati rubri drachma; epuloticum erat linteam carptum medidum spiritu vini expresso, & lapis vitrioli.

Tumoribus fungosis persanatis, quandoque superveniunt carbunculi pedes infestantes, qui convalescentes impediunt quominus incedere possint, aut saltèm incessum non sinunt, nisi valdè dolorificum.

Novus hic morbus omninò pendet ab eâdem materie, quæ priorem invexerat quæque velût incarcerationata hæret in plantis pedum proptèr duriores ibi loci epidermidem, maximè in nigritis qui pedibus nudis incedere solent. Quandoque planta tota pedis sic dolorificè afficitur, ut vix ac ne vix quidèm tactum ferant ægrotantes, quandoque macula tantùm apparet vix excedens magnitudinem nummuli viginti quatuor assium. Dolor post quoddam temporis intervallum inflammationem accersit, & suppurationem, quæ cùm facta

est, dolor omnis evanescit: sanatus videtur æger, neque fallax est hæc apparentia, si tumor fungosus penitus vim suppurationis expertus est. Sed non nunquam accidit, elapsis quinque sex-ve septimanis, cutis postquam induruerit, dolorem inflammationemque &c. Recrudescere, hancque recrudescentiam sæpius observari per plures annos, quò usque nempè tota hæc fungosa caro suppuratione assumpta fuerit, vel arte destructa.

Coloni nigritæque varias habent formulas medicamentorum huic morbo adversorum; sed optimâ methodo debellatur ope balneorum & epidermidem destruendo, quâ destructâ, curatio procedere debet eodem modo ac diximus curari *magistrum-Yaw*. Escharotica mitia potissimum anteferenda sunt in hoc casu; omni ope atque operâ cavendum est, ne partes tendineæ periossteum-ve lædantur.

Pueris infra sex septem-ve annos ætatis suæ constitutis vix eo rationis gradu pol-
lentibus, quo salivationis incommoda pati possint, cùm morbus eò pervenerit, ut supersit excitanda salivatio, præscribo unum aut alterum granum mercurii dulcis saccharo mistum; quod singulis diebus, vel alternis, aut quarto quoque die repeti

jubeo, hunc in finem tantummodo ut ulcuscula fiant in ore, quo usque tumores fungosi exaruerint & in squammarum modum decidui cutem mundam reliquerint. Quæquidem methodus semper succedit, sed longius exigit tempus, quàm adultorum curatio.

Ter mihi contigit curandam habere matrem unà cum infante lactente, quibus tumoribus sæpè dictis cutis tota defædabatur. Duo ex his infantibus convaluere iisdem medicamentis, quæ matri exhibebantur, licet in hocce tantum transmitteretur hæc medicaminum quantitas, quam capere poterat lac suctum. Quod ad tertium spectat, reliquis duobus robustiorem & annosiores, tumores ejus corpus occupantes jam exsiccati erant, quando mater sanata est; & in altero tumores iis crustis scabie-ve tegebantur, ast illæ crustæ non desquammatæ sunt, & ut curatio absolveretur, ter quater-ve mercurium dulcem minimâ dosi præscribere coactus sum, & insuper per aliquod temporis spatium æthiopem mineralem.

Me plures certiores fecere trium quatuor-ve mensium curriculo præscriptum magnâ dosi æthiopem mineralem satis esse ad hunc persanandum morbum vel in

adultis. Hanc methodum numquàm sum expertus, tùm quia nimis tardus est sensibilis hujus effectus, tùm quia nigritæ spontè præscripta medicamenta non assumere solent, sed coacti ab heris, à quibus vix sperandum est, ut tam longo temporis spatio addicantur assiduò servorum curationi; ast certus sum hanc posse tentari methodum cum spe non mediocri successûs optati.

Plurimis mirum videbitur omitti venæ sectionem aut purgationem tam antè, quàm post absolutam curationem, quæ tamen potissimùm peragitur, mercurialibus salivationem excitantibus. Ut sic agam, facit primò perspectus morbi genius, qui ad affectus cutaneos evidentissimè revocatur, cujus materies morbifica naturæ ritu fertur per emunctorium cutaneum, crisi insolitâ & abnormi; hâc crisi abnormi intellectum volo idem ac si dicerem materiem morbificam, quæ hunc affectum excitat, materie variolosæ analogam, nentiquàm sic excoqui posse, ut per vias secretionum consuetas ex integro separari possit & transfluere, fungososque tumores huic morbo tam esse essentiales, quàm pustulas in morbo varioloso; namquè si salivatiò excitetur, antequàm hi fungi ultinam suæ

accretionis periodum obtinuerint, vix aliquid aliud faustius sperare est, quàm eos brevì post salivationem reviviscere: porrò sanguinis missione aut purgatione tantummodò retardari potest fungorum adoleſcentia, vel evacuari quoddam fluidum naturæ operationibus in hoc affectu valdè necessarium, vel misceri fortè materies morbifica cum reliquis humoribus, ità ut in posterum impossibile sit eam ex toto segregari.

Quod ad purgationem spectat, quid eâ opus est, finito ptyalismo, & morbi materie exhaustâ? numquid sperare licet fore ut per viam intestinorum commodiùs evacuetur hæc materies, quam expellere nititur ad cutem ipsissima natura? Et numquid verisimilius est restitanti materię morbificæ portiunculam in vasis cutaneis transpirationis formâ expelli debere potius, quàm motâ catharsi, reduci in vias sanguinis novas strages invecturam? his adde rationum momentis *magistrum-Yaw* ad summum incrementi gradum perventum, merum esse vitium locale topicis persanandum, quamvis in sinu suo gerat satis magnam virûs copiam, ut hujus infectione plures viâ contagii infici possent.

Quem mox descripsi morbus à lue ve-

nereâ differt; sed ea quæ superveniunt descripto morbo minùs peritè tractato symptomata, tantam foveant similitudinem cum luis venereæ inveteratæ symptomatis, adeòque facilè virus venereum fuscipere possunt nigritæ sese miscentes adinvicem, ut in plerisque casibus admodùm difficile, ne dicam impossibile foret, hos morbos inter se distinguere, imprimis cum æger utroque hoc morbo laboraverit, antequàm ea expertus fuerit accidentia, quæ morbum, de quo hîc agitur, subsequi solent.

Hæc accidentia potissimùm sunt dolores vividi artus occupantes, & de noctu infestantes, ii quibusdam in subjectis comitantur nodis & exostofibus, in aliis ulcera ferpunt ossa carie exedentia. Non ego quidèm affirmavero utri horum-ce morborum hæc symptomata sint tribuenda; ast si nigrita, qui nuspiàm laboraverit morbo quodam venereo, sed cui cutis deturpata fuit fungis prædictis, symptomata mox enarrata patiatur, hæc verisimilè pendere existimo à viru *Yaw* producente, maximè si methodus perfanandæ aut mitigandæ luis venereæ aptissima, illa accidentia fecerit graviora. Unam aut alteram observationem citabo, in quibus mihi videtur prædicta symptomata *Yaw* pro suo prin-

cipio agnovisse, quæque docere poterunt quid super hâc quæstione sentiri debeat.

Anno 1727 rogatus fui, ut juniorem nigritam examinarem; laborabat ulceribus tibiam & pedem dextrum dudum infestantibus, quæ credebantur pendere ab *Yaw*, quo ille infans affectus fuerat, numquam perfectè curatus. De cætero benè valebat hic juvenis, pluribus vicibus salivationem & alias methodos curatorias, sed frustrà expertus erat. Duo ex methatarfi ossibus integrè jam absumpta fuerant, reliqua tria carie inficiebantur; calcaneum & inferior tibiæ epyphisis simili labe tentabantur. Hujus ægrotantis dominæ renuntiavi in me non esse, ut ille æger convalesceret, ossa quæ jamjam eram tentata fore ut ex integro corrumperentur, nullamque rem expedire posset superventuram exfoliationem; quod si tibiam refecarem (quod expectabant consulentes) alterutrum ex iis eventurum, nempe vel vulnus nunquam cicatrice superinducendum, vel si fortè cicatrix superinduceretur, ægrum non diù operationi superfuturum esse. Attamen quasi coactus, præcibus & dominæ & servi victus, tibiam refecui.

Bis terve sanguinem misi & ægrum purgavi, cauteriaque tria inussi, unum in altero

tero crure , reliqua duo in brachiis. Paucis diebus postquàm cauteria pus fundere cæperant , tibiam amputavi more solito. Vulnus ad cicatricem perductum est facillimè , ægrotansque lætus incedebat crure ligneo fultus. Vix elapso mense à cicatrice vulneri superinductâ , febre corripiebatur æger , cui paucos intrâ dies dolor atrox inflammatioque femur genuque correspon-dens tibiæ amputatæ occupantes succefferunt. Quindecim à primâ febris invasione diebus , fluctuationem persensit ad popliteum, incidi viamque aperui liquori duodecim uncias circitèr pendenti ; quâ ratione pus fundebatur , eâ febris remittebat , ægerque convaluit ; sanus adhuc vivit , sed ulcus de industriâ apertum reliqui , cauterii vices gerens.

Mulier quædam juvenis ex Anglia venit in hanc Insulam , aßerfita à quodam incolâ , ut ejus filiam prima litterarum elementa doceret. Hîc aliquandiù commorata nupfit cuidam inspectori , cujus commercio contraxit *Yaw*. Hoc morbo sese infestam ubi sensit , adit Colonum nigritas hoc affectu laborantes curare solitum. Jàm cutis illi defædabatur sat multis tumoribus fungosis, ut omnis æquivocatio tolleretur , in dignoscendo morbo. Illicò intrâ conclave

Calidum includitur, & illinitur unguento mercuriali methodo *Wisemani* parato, quod nempè sexdecim axungiae unciis, sex hydrargyri uncias caperet. Primâ tantum vice illita mulier copiosam salivationem experta est ad sex, septem-ve hebdomadas perstantem. Quatuor septimanarum spatio, vix unum poterat verbum proferre, salivaque fluebat tincta sanguine. Vix finito ptyalismo, ægra perfectè convaluit; vires expeditè recuperavit pristinas, & in Angliam mense Maio aut Junio 1728 profecta est unâ cum filiâ divitis cujuspiam Coloni, cui anxillabat.

Aliquot hebdomadis elapsis, postquam Londinum venisset, atrociter doluit ad femora & crura, suamque valetudinem credidit noto sibi cuidam Chirurgo aut Pharmacopeo, qui multa prescripsit medicamina absque ullo successu; ipsissimo enim tempore quo curabatur, ulcere tentabatur in brachio & crure. Intereâ cum videret ægra sibi mox defuturam pecuniam, firmitè rata sibi potiùs sanationem expectandam in hac regione, ubi morbus quo laborabat benè cognitus erat, quàm Londini, ubi morbus quo premebatur incognitus erat, (saltèm iis qui hanc hætenùs curaverant) rediit in hanc Insulam.

Mense Augusto anni 1729, venit me consultum, ejus erat commiseranda conditio, & meas omnes curas & quidē gratuitas pollicitus sum. Dolores quibus vexabatur in artubus atrocissimi vigeant, variæque brachiorum & tibiæ plagæ quinque vel sex ulceribus carne fungosâ tectis obfidebantur.

Ab ipsâ petii enixè ut sincerè quæsitis responderet: namque æquè à conjugē potuisset infici lue venereâ, ac illâ quæ producit *Yaw*; majorque spes futuræ sanationis erat infectæ viru venereo, quàm alio.

Afferuit se nullum uspiam symptoma venereum passam esse, fivè antè, fivè post communicatum *Yaw*; paucis antè diebus quam se sensisset hâc postremâ lue pressam, navigatum abiisse suum conjugem, uti antea solebat: Nec hunc à se visum deinceps, neque cum viro ullo alio se rem habuisse. Candidè respondentem ægræ, aliundè famâ probitatis insigni emolumentum percepturæ, nullum incommodum passuræ ex confessione sincerâ fidem adhibendam esse credidi.

Illicò mite escharoticum ulceribus admovi, quo carnes fungosæ destruerentur, usum æthiopis mineralis præscripsi, unâque decoctum lignorum ex aquâ calcis,

eâ cautione, ut bis in hebdomadâ mercurio dulci solveretur alvus. Postquàm quatuor, sex-ve, septem hebdomadis iis remediis usa esset, non ideò meliùs se habere visa est; enim vero postquàm absumptæ sunt carnes fungosæ aliquot dierum spatium suppurationem moliri videbantur ulcera, sed mòx materie ichorosâ maduerunt, labiaque nunquàm ad contactum perducì poterant.

Tunc cogitavi de miti salivatione diuturnâque ope mercurii dulcis excitandâ & fovendâ. Sed menstruâ hujusmodi salivatione peractâ, saliva ad quantitatem unius pintæ, singulis diebus effluente minimè convalescebat; econtrâ ampliabantur ulcera, atrocioresque vexabant dolores, quo factum est ut paulatim remitti salivationem & cessare finerem; ast de noctu ingruit imber, conclave subiens minùs exactè clausum, in quo jacebat hæc misella. Postridiè ptyalismus cohibitus fuit, & per quindecim dies febre laboravit. Febre tandem fugatâ, adeò debilis & macilenta erat hæc mulier, ut timerem ne consumpta fatis cederet.

Diætam lacteam jussi, præcepique pro potu ordinario decoctum falsæparillæ & chinæ ad tertias lacte alteratum. Octo

decem-ve elapsis hebdomadis, vires rediere pristinumque corporis habitum recuperavit. Tunc ptisannâ à quodam nigritâ confectâ, ut uteretur non nulli suaserè, cujus nempè potu plurimi qui similiter laborabant perfectè convaluerant, qui alia media frustrâ tentaverant. Hâc ptisannâ utebatur sex septem-ve mensium spatio, ulceraque curabat admotâ tincturâ myrrhæ, immediate postquàm ea madefecisset aquâ, calcis tepidâ. Ast invitis hujusmodi medicaminibus ulcera serpsere magis magisque, & vividiores dolores evaserunt. Ossa cuilibet ulceri subjecta carie exedebantur, sicque miseram vitam protraxit usque ad annum 1734, quo obiit.

Quamprimùm in hanc Insulam veni, in more positum esse reperi, ut, simul atque ægrotantis cutis tegebatur tumoribus fungosis, ipsi singulo mane propinarentur viginti & quinque guttæ dissolutionis duarum sublimati corrosivi drachmarum in octo unciiis barbadensis aquæ, attendendo ut quoties nausæa laboraret, toties aquâ calidâ poteretur. Hoc remedio vomitus excitabatur, & ptyalismus ad usque meridianas horas circitèr. Iterabatur idem medicamentum singulis diebus, dosi quinque guttis auctâ, & intrâ paucos dies videba-

tur æger melius sese habere. Sed notavi excrefcentias fungofas revivifcere in ple-
rifque hanc methodum expertis, vel ipfis
offa torqueri doloribus fœviffimis, vel fu-
pervenire ulcera in variis corporis parti-
bus. Recidivus morbus tardiffimè perve-
niebat ad acmen, mercurio longo tempo-
ris fpatio uti debebant, ut cutis munda-
retur; & quandòque iis omnibus medi-
camentis invitis, fecundam & tertiam re-
cidivam patiebantur ægri.

Non nunquàm cum fuccelfu nonnullos
hujufmodi ægros ulceribus affectos curavi,
falivatione excitatâ longo ufu æthiopis
mineralis, & decocti lignorum ex aquâ
calcis: fuere plures qui hanc methodum
expertis funt fruftrâ, plures qui ex eâ fe-
pejus habuere miseramque vitam pro-
traxere. Neque felicior fui in curandis iis
quibus offa vexabantur doloribus roden-
tibus, deindè exoftofibus, nodis & carie
tentanda: itâ ut offa tibiærum brachio-
rumque rumperentur abfque causâ ma-
nifeftâ.

Nigrita dictus *America* ad D. Guillelmum
Stapleton pertinens, poftquam *Yaw* laboraf-
fet, membra doluit ita acerbè, ut nihil quid-
quam agere poffet, itâ ut à viginti retrò
annis nullam operam navaret, quia ipfi

pleraque ossa nodis exostosisque tuebant, vel carie inficiebantur. Anno 1733 passus est fracturam mediæ partis ossis brachii, absque ullâ causâ evidenti externâ; hanc fracturam composui, eodemque firmavi apparatu, quo utimur in fracturis simplicibus: sex elapsis septimanis, quandò callus jam obfirmari debuisset, reperi ossis fracti bina extrema super sese adinvicem mobilia esse, & dimoveri à se invicem unius pollicis intervallo, sub mediocri blandâque brachii extensione. Uno circiter anno elapso, os humeri integrè consumptum erat, si demas partes hujus, à scapulâ & cubito uno pollicè distantes. Paulò post interiit æger tabe consumptus.

Inter-est contulisse historiam lepræ Judæorum traditam cap. XIII^o. Levi, cum historiâ morbi *Yaw*, gallicè *Pian*, quam mox tradidi. Hos inter morbos maxima esse videtur affinitas.

F I N I S.

QUÆSTIONIBUS PHISIOLOGICIS RESPONDERE
CONABITUR.

ERRORES TYPOGRAPHICOS LECTOR BENEVOLUS
EMENDAT.

